DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS DOW,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS.

AD DIEM VI. ID. JUNII, HORA ET LOCO SOLITIS.

" *Cum furit, atque artus depascitur arida febris;*
" *Profuit incensos æstus avertere*——"

VIRG.

GLASGUÆ:

EXCUDEBANT J. ET J. SCRYMGEOUR,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1802.

FRATRI MATERNO,

IMPUBERIS PRÆCEPTORI, JUVENTUTIS AMICO,

DILECTO, CARISSIMO,

ALEXANDRO BUCHANANO

PARITER,

OB VIRTUTES, AC INGENIUM,

SUMMIS LAUDIBUS

DIGNO,

OPUSCULUM HOCCE LUCUBRATUM,

AMORIS NEMPE, AMICITIÆ,

GRATO ANIMO,

TESTIMONIUM

LUBENS OFFERT

JACOBUS DOW.

ERRATA.

Pag. 6,	lin. 12,	pro	*invere*,	lege in vere.
8,	2,		*horore*,	horrore.
11,	13,		*crisis*,	crisin.
18,	1,		*solitorum*,	solitarum.
26,	4,		*præcuntibus*,	præeuntibus.
27,	7,		*sanguininis*,	sanguinis.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE RHEUMATISMO.

Auctore Jacobo Dow.

Morbus de quo mihi est animo agere, æquor perscrutationis extensum præbet. In mare magnum cymbam parvulam timidè ac diffidenter deduco, et quanquam non aliquod novi patefacere speravi, tamen recognoscere, colligere, seligere tentabo.

Ut per omnes regiones orbis terrarum, sed præcipuè per plagas Boreales, in hisce nostris temporibus longè lateque grassatur, verisimilè Rheumatismus incolas antiquas istiusmodi regionum haud

rarò soleat afficere; attamen de rebus medicis scriptores, qui tam seduliter et accuratè symptomata aliorum morborum observârunt, quàm fideliter retulērunt, huncce morbum non perspicuè expedivēre. De hac re cl. Sydenhamus præripuit proculdubiò palmam. Boerhaave, enimverò omnium sui temporis medicorum præclarissimus, de hoc morbo ignoravit; in horto suo exercitans correptus ægrotavit, crudele experientia doctus.

RHEUMATISMI ACUTI HISTORIA.

Maxime invere et autumno morbus infestat, sed in omnibus anni tempestatibus quandocunque mutationes cœli crebrescunt vexare solet: rusticus fessus et sudans etiam æstiva labore, sub um-

bra meridiat, postea friget, alsit, artus dolent, febris urget.

Ex cl. Culleno morbus in hisce verbis bene, accuratè definitur; "Morbus ab externa et ple-" "rumque evidente causa; pyrexia; dolor circa" "articulos, musculorum tractum sequens, genua" "et reliquos majores, potius quam pedum vel" "manuum articulos, infestans, calore externo" "auctus."

Per regiones frigidas Septentrionales, pluviosas, precipuè vagatur: incolas harum insularum Britannicarum, quà, "cœlum crebris imbribus ac" "nebulis fœdum†," crudelè infestat. Agricolæ, milites, juvenes adolescentes in vigore ætatis, sanguinei precipuè obnoxii sunt; impuberes vel senes rarius afficiuntur.

---

† Tacit. in Vit. Agricol.

Haud rarò morbus sine signo ullo evidente, nisi febris (Synocha) ingreditur, quae cum horore aliisque symptomatis stadii frigidi ingruit, calore, lingua arida et alia subeuntibus.

Pulsus nunc frequens, durus, plenusque evadit, calor valde augetur, facies rubore suffusa, respiratio difficilis.

Rarò accedere videtur nauseam, vomitum, tremores, subsultum tendinum, delirium, convulsiones, spasmos, miliaria, ac in quibusdam febribus ægros vexare. Vis vitæ parum imminuitur, functiones cerebri rarius læsi.

Appetentia cibi in hoc morbo tam parvum affici solet, ut ad rationem dieteticam laborantes se invitè submittant.

Post paucos dies febre adhuc perstante, artuum dolores tandem erumpunt. Febrem verùm-

tamen dolor topicus aliquando prægreditur, haud rarò febris atque dolor simul adoriuntur.

Bino, altero vel tertio ipsa die, febre perstante, symptomata morbi propria magis apertè prodeunt; dolor immanè miserum cruciat, nunc in hac, nunc in alteraque junctura vexatur.

Artus majores motum, liberum, extensum, inservientes, humeros, carpos, genua, coxasque, potius quam digitos, afficit. Interdum quoque per musculos vicinos, artu usque ad artum cursum tendit, horum musculorum motu permultùm auctus, quippe quòd ægrum in lecto nequaquam audere, etiam vix ac ne vix se posse movere.

Omnes fere musculi dolore nonnunquam subeunt corporis; etiam *temporalis*, *occipito-frontalis* et *masseter;* rarius *diaphragma*, *œsophagus*, *lingua*, aliique ad motus vitales adjuvantes, vel nunquam corripiuntur. Cum musculi lumborum

affecti sunt, *Lumbago*, cum *psoades*, *Ischias* vocatur morbus. Interdum *intercostales* crucientur, et *Pleurodyne* formatur.

Sub noctem planè ingravescit febris, auctis calore, anxietate, sitique febrili. Nunc cruciatus magis magisque torquent, et lectus qui solatium gravibusque miseris in morbis plerisque præbere solebat, in hocce morbo angores crudeles nunquam non potest afferre, imo, in nocte sedes utplurimum mutant, locum aliquem alium discruciare, et quò auctus fuerit calor ex stragulis superincumbentibus, eo pejus evadunt dolores; enimvero non contra, frigus applicatum dolorem potest levare. Accessio annon vespertina febrilis hunc cruciatum auctum afferre possit?

Juncturæ post tempus, dolentes, rubore, tumore quodamque afficiuntur, tactus impatientes; at quam turgescunt, rubescuntque, minus rarò

non tam ita dolent; ac omnino non semper dolores sic cedunt, nec etiam reditus præcavetur.

Sub formâ quâ plerumque gaudet hicce morbus, cutis sæpe arida est, sed nonnunquam sudatio quadam ab initio matutina apparens, sua sponte orta, attamen parum tenuis, tantum partialis, non copiosa, nec crisin, nec levamen præbet.

Urina colore rubro se induit, sub initio morbi perlucida, nullum sedimentum deponens, sed tragœdia pergente lateritium aut albidum, at febrem solvendi non presagium, sed potius spem quasi felicem remissionis, quam crisis offert: etiamnum ut alia signa minus dubia ad morbi dignoscendum se habent, non admodum curæ, porro symptoma in febre quacunque ardente obvenit.

Sanguis in hoc morbo detractus, crustam albam glutinosam firmam monstrat, quin etiam

hæc tunica se ostendit post diathesis phlogistica fuit subacta,—res medicis hoc morbum ad curandum incumbentibus in memoria digna teneri.

Alvus plerumque adstricta, rarius profusa; secretionibus utplurimum fluidis imminutis.

Ita morbus apparet, symptomatis jam memoratis plus minùsve existentibus.

Quanquam signis inflammationis morbus validæ ac pyrexia stipatur, tamen qualis alii *phlegmasiarum* non terminat. Si sudor arte, vel sua sponte profluit si tenuis, fluidus, copiosus, universalis sit, et per dies aliquot duraverit, membra discruciata interquiescunt, febris concedit.

Quin et aliæ terminationes notatæ sunt, rarius verò obvenientes, nempe, hæmorrhagia, eruptiones cutaneæ, salivæ profluvium.

In omnibus ex stimulo frigoris indirecto ad inflammationem incitatis, fluxus verisimilè fluidorum auctus accedit. In Catarrho istiùsmodi excretio planè comparet, in rheumatismo quoque ex effusione in thecas tendinum, sub aponeuroses, &c. demonstratur.

An igitur inflammatio in hoc morbo quadam, fibras musculares ipsas corripit?

Sed origo horum morborum naturaque inter se similitudinem habent, (quod ex simili partium affectarum structura probabile est) causam proximam inter has eandem esse, ægrè dubitari ut censeo potest. Quòd causa Catarrhi proxima ab fluxu fluidorum parti aucta pendet, Cullenus doctissimus tenet. "The proximate cause of Catarrh seems to be an increased afflux of fluids "to the mucous membrane of the nose, fauces, "and bronchii, along with some inflammation affecting these parts." Fluxus quoque ad mus-

culorum aponeuroses, capsulas juncturarum, &c. auctus, indubitantèr tendit.

In Rheumatismo ut in Catarrho aliisque jam comparatis, perspiratio obstructa est; attamen cum Culleno aliisque auctoribus quòd materia perspirabilis ad partes affectas affluit non animus est mihi consentire. Ut perspirationem solitam in corpore retenta distributionem sanguinis mutare, ejus quantitas quoque augere, nil dubitari possit; sed acritudo materiæ hujusce perspirabilis supposititia, ad tales effectus quales imputârent alii efficiendum æqua ut censeo non est. Imo, causa dubitandi est, an ulla acritudo habet hac materia perspirationis; quippe quòd sero parum mutato sanguinis constare videtur. Porro renes transitum naturalem vicarium pro perspiratione præbere solent, et cur ad thecas tendinum et similes (si unquam accedit) in Rheumatismo tenderet, vel ad quem rationem, non judicare possum.

Raro mortiferus est hic morbus; etsi dolores valde ægrum discruciant, tamen non nisi partes per *metastasin* vitales corripiunt, mortem afferunt. Nonnunquam sanè alios morbos comitatur infaustos; exempla non defuerunt in quibus febris Typhodes et Rheumatismus coiire, morbum summoperè infelicem tradentia.

Huc usque de historia, causis, et quodammodo natura morbi sedulò ac brevè dare operam tentavi. Historia, causæque remotæ, fideliter recordantur, ac bene cognotae; causa proxima et natura hujusce sicut cujuslibet fere morbi, multum obnubilantur; attamen est medici rationalis ad rem explorandum, ut fiere possit, firmè ac diligentèr moliri.

QUÒD nisus Rheumatismum curandi successus felicitèr coronet, necesse est ut animum ad af-

fectionum naturam morbidarum in temporibus morbi diversis incumbamus.

In quatuor stadiis liceat morbum dividere scil. 1mo. Stadio Inflammationis; 2do. Irritabilitatis; 3tio. Atoniæ; 4to. Stadio Paralysis; nunc quoad singula.

I. *Stadium Inflammationis* ab historia antehac narrata facile distinguere potest, ex tumore locale, rubore, cum pyrexia et aliis.

II. In *Stadio Irritabilitatis* febrisque juncturæ affectio evidens localis absunt, nimirum verò a frigore ad partem calefactam allato facile redientes, et calore lecti multum auctæ.

III. *Stadium Atoniæ* in hoc modo sequente " Culleno ingenioso definitur: " Arthrodynia, " post Rheumatismum, nisum violentem, vel " subluxationem, dolores artuum, vel musculo-

" rum, sub motu præsertim, aucti, plus minusve " fugaces, calore lecti vel alio externo levati; " artus debiles, rigidi, facilè, et sæpe sponte fri- " gescentes; pyrexia nulla, tumor plerumque " nullus." Hoc, quod Cullenus ut sequela, vel morbus ex Rheumatismo diversus posuit, ille ipse fatetur ægrè ex Rheumatismo separari; " et inter " utrumque morbum," dixit " sæpe limites vix " statuendi sint."

Hoc stadium ab inflammationis stadio dignoscetur, hocque modo; quòd in illo dolor diu discruciat, sub nocte præsertim auctus, &c.; in hoc dolores calore externo augentur, et pyrexia invadit. Ab Irritabilitatis stadio discriminatur ut calore externo in illo non levantur dolores.

IV. *Stadium Paralysis*, arthrodynia, vel stadio atoniæ diu perstante init, musculorum motus voluntarius imminutus vel abolitus est, artuum ruborque dolor desierunt, supervenit œdema. Dig-

noscitur ab Paralyse Idiopathica prout nulla cerebri affectio prægressa fuit; ab Paralyse Colicam pictonum subeunte, aliisque, ex causis excitantibus præcuntibus cognotis.

CONSILIA MEDENDI IN VARIIS STADIIS MORBI.

I. Quoad methodum curandi in primo stadio, Inflammationis, vel in Rheumatismo acuto.

In hoc stadio duo *Indicantes* prodeunt, nempe, inflammatio localis et pyrexia.

Indicatio precipuè ad affectionem localem, vel levandum, vel curandum spectat, et hæc, febrem generalem symptomaticam certissimè auferre vel levare possit.

Quippe quòd actio vasorum partis, ni fallor,

aucta est, quantitatem, impetumque sanguinis generalem, etiam quoque ad partem ipsam affectam, oportet imminuere.

Omnium remediorum, venæ-sectio, ad impetum sive generalem, sive partialem sauguinis imminuendum optimè in hoc stadio valet.

De quantitate sangininis qua liceat detrahi, auctores non inter se consenserunt. Cl. Sydenhamus venæ-sectionem usque ad uncias decem primò præscriptus fuit; "die sequenti *tantundem* "detrahi præcipit; atque intercalato die uno al-"terove, pro ægri viribus, *tertio;* dein interjecto "quatuorve trium dierum intervallo (prout ægri "vires, ætas, constitutio, aliæque circumstantiæ "suadent monentque) *quarto*, atque *ultimo* ut-"plurimum, venæsectionem repeto."

SYDENHAM *de Rheumatis.*

Certè venæ-sectio remedium precipuum in hoc

stadio est, et licet *scalpellam* ut frequentia, plenitudo, duritiesque arteriarum pulsus postulent, vibrare.

Limites ad sanguinis detractionem ponere debemus, ne debilitas nimia ac morbi ex debilitate pendentes superveniant, manentve sequelæ molestæ, sicut stadium Irritabilitatis, etiamve Arthrodynia et Paralysis.

Bene (me judice) monet Doctor Gregory, in Academia Edinburgena Professor; nempe, venæsectionem ad alia remedia concedere, cum arteriarum pulsus ad *centum* in parte sexagesima horæ fuerint imminuti.

Ad debilitatem quæ venæ-sectionem sequitur profusam evitandum, sanguinis detractio a parte affecta dolorem sæpe mitigat, detumet artus, post pyrexia conquiescit; sed nisi missio quantum priùs ad febrem compescendum perfecta fuerit, pa-

rum detractio proficiat localis; nimirùm verò ab junctura una dolores ad alteram tantum depulsat, nec remedium in vice evacuationis generalis præbere possit.

Sanguis a partibus apprimè dolentibus ope *cucurbitularum cum ferro*, *hirudinumve* abducatur. Cucurbitulæ aliàs ad hanc indicationem bene aptatæ, ægrè ad juncturas applicentur: hirudines multi commodè admoveantur, et satis valeant.

Ope venæ-sectionis liberæ nec verò plus justò adhibitæ, post paucos dies miser aliquandiu sanescit; sed tamen alia remedia symptomata utplurimum planè postulant.

Post missionem sanguinis remedium certè optimum est *sudatio*.

A capite usque ad calcem sudor tenuis, liber, copiosus effluendum est; non nisi totum undique

corpus perfundat, remedium valeat, et absolutè opus sit ut ad artus Rheumaticos illiciatur.

Omnium sudorificorum ad Rheumatismi curationem optimè aptatus est pulvis Ipecacuanhæ compositus, vulgo pulvis Doverii.

Æger indusio laneo se induat, stragulisque laneis mollibus vestiatur, et nunc accinctus ad sudorem pulveris Ipecacuanhæ comp. habeat grana decem vel quindecem pro dosi.

Olim dosis scrupuli adhiberi solebat, sed tamen vomitu parum optato, hujusmodi sæpe rejecta fuit incommodè medicina.

Grana quinque omni hora, bihoriove, donec supervenerit sudatio postea adhibeantur. Ad vomitum præcavendum, potus quilibet denegandus est, antea quam sudor erumperit. Imo verò pos-

tea profluit sudor, diluentia etiam parcè licitum sit inhaurire, ne vomitionem provocent.

Ad eliciendum sudorem, partìm quà diluentia, partìm quà stimulantia lenia, haustus salinæ Riverii subinde sumpti bene accomodantur.

Aliquando diaphoretica leniora, ut Lixiva citrata, cum Vini Antimonii tartarisati drachma, et Tinctura Opii guttis viginti forma haustus hora somni adhibeantur; vel Vini Ipecacuanhæ drachmæ duæ; aut Aquæ Ammoniæ acetatæ semuncia in aqua menth. pip. vel Cinnamomi inhauriantur.

Per horas triginta sex, imò forsitan quadraginta octo, nisiprius dolores levantur, profluat sudor, quòd si extremitates affectas non imbuat, nunc in pannis laneis ex aqua tepida strinctis necesse est has implicare; etiam si opus, utriculi aqua vel arena calida pleni pedes concalefaciantur.

Cum magna debilitas adest, vinum cum aqua tepida, saccharo, acidoque vegetabili mistum, (Anglicè *Negus*) sudatione durante omninò modicè bibat, quòd tamen ut sudor liberè profluat, ac vires perferantur.

Ut omnia remedia alia, infortunia quædam hocce comitantur; debilitatem cum liberior quam justò fluxus sudoris, stadiumque Irritabilitatis, Atoniæ, &c. æque ac sanguinis missio nimis profusa inducere potest; aër frigidulus jam ægrum multum afficit, et obnoxium morbum recidivum facilè affert.

Ad mala hæc præcavendum, necesse est ut ratione modica (supra praescripta) æger sudetur, vestes laneas gerere debet, et sese sub divo per aliquot dies vix ac ne vix quidem offerre.

Opio alii in stadio etiam acuto utuntur, et vim sudorem incitandi, si tantum exerceatur remedi-

um qualecunque, stimulandi (sic censeo) effectus amplè compensantur; attamen nisi cum diaphoreticis conjungatur, vix ægrè, ut opinor liceat adhiberi.

Cinchonam quidam è medicis ut remedium præclarum summis laudibus in hoc morbo extulerunt, sed de experientia medicorum qui tentationem ejus haud parum fuerunt peracti, remedium non modo inefficax, imo verò aliquando perniciosum conficitur.

Nitras Potassæ in bello Germanico *septenni* dicto, medicis exercitûs nostratis in magnis dosibus adhibita fuit, diluentibus largè et copiosè superadditis; nisus velut ad morbum modo diaphoretico curandum planè videtur: sic habet cl. Dr. Brocklesby; "I directed two drachms of pure "nitre to be dissolved with or without su- "gar, in boiling water occasionally, and I re- "peated, at proper intervals, as often as ever the

" stomach would bear it, large draughts of this nitrous decoction warmed; by which method, I often prevailed on the soldiers to take even ten drachms of nitre, or more, the first twenty-four hours, in three, four, five, or six quarts of diluting drink. So much nitre cannot generally be administered, without danger of too much stimulus, unless it is given in those attenuating drinks. And this method was sure to prevent any mischief from that stimulating salt;" et postea; " when I found that the nitre became tolerable to the stomach, I taught the patient to dissolve half a drachm of it in a small quantity of boiling water, and when this solution was cold enough to bear it, I made the sick swallow it down, and dilute it with half a pint or thereabouts of warm water-gruel, barley-water, or sage, balm, or mint tea. This quantity of nitre I repeated every hour or oftener, as the stomach would bear it; I have often extended the doses to ʒix to ʒx, or some-

"times to more, throughout every twenty-four "hours. Such quantities, in three or four days, "seldom failed wonderfully to relieve the patient, "and very often to cure him entirely, by the "most *plentiful and profuse sweats*†."

Catharticorum operatio, miserum ad motum ægrè aptatum nimis vexat, et non nisi quà laxantia necesse est hanc classem præscribere. Optimè ad alvum movendum enemata in hoc morbo accommodantur.

In stadio hoc Inflammationis sicut in omnibus aliis, ad quas *diàthesis phlogistica* adsit, regimen antiphlogisticum proferendum est.

Ad diætam vegetabilem, lenem, imo certè parcam quoque, ægrum quantumcunque invitum, strictè domare debemus. Parum opus sit dicere ut liquores spirituosi ac etiam fermentati omninò, utplurimum, prohibeantur.

† Brocklesby's Medical and Oeconomical Observations.

DE STADIO IRRITABILITATIS.

Post Rheumatismum acutum, methodis medendi supra dictis subactum, partium nuper affectarum conditio irritabilis relinquitur.

Cum res sic sese habet, ad corpus prius calefactum quando aër frigidior nunc allatus est, facilè artus dudum cruciati denuo dolent; sed absunt pyrexia, ruborque, tumor; dolores calore quoque externo augentur.

De conditione vis nerveæ pendere hoc stadium videtur, et indicationes curandi sunt;

1ma. *Proclivitatem ad vasorum actionem auctam removere.*

2da. *Actionem causarum sensus dolorum incitantium prævenire,*

3tio. *Harum potentiarum nocentium impulsum apud partem præcavere;* nunc.

1ma. Proclivitatem ad vasorum actionem auctam removere.

Sub hacce indicatione venæ-sectio generalis, ac sudatio profusa æque perniciosæque evitandæ sunt; attamen diaphoresis lenis, constantèr, æquabilitèr perstans, detractio sanguinis localis, et epispastica remedia existimantur eximia. Ad diaphoresin promovendum, quoque alvum solvere G. Guaiacum in dosi scrupuli, ex aqua ope vitellii ovi suspensum vel tincturæ drachmæ cum lacte mistæ, bis, terve indie adhibeatur. Tinctura Guaiaci ammoniata nauseam sæpe ciet, aliaque antedicta non preferenda.

Decoctum Mezerei ad diaphoresin promoven-

dum ad libram partitis vicibus indie *adhibitum fuit.*

Carbonas ammoniæ forma boli ad grana quinque ter quaterve de die administretur.

2da. Actionem causarum sensus dolorum incitantium prævenire,

3tia. Harum potentiarum nocentium, impulsum apud partem præcavere.

Ad has indicationes binas perficiendum, aptè accommodata sunt varia remedia scil. Epispastica et Rubefacientia, ut Sinapismi, quæ conditionem vis nerveæ in parte affecta possint mutare. Affluxum fluidorum a partibus dolentibus ad partes sanas sustinere bene inserviunt tepor externus modicus, cathartica refrigerantia sicut sales

medii, Oleum Ricini et alia; Enemata laxantia; et præcipuè medicamenta diaphoretica lenia, quorum vix ullum melius quam pilula ex opii semigrano cum Calomelanos grano uno composita, in hoc stadio arridet, omni mane et vespere sumpta.

Effectus sensibilitatis morbidæ impedire, in hac aliisque exemplis similibus, Sedantium internus externusque usus prodesse solent. Externè Linimentum opiatum juncturis illinatur.

Emplastra ex Aconito et Cicuta aliquando quoque applicentur.

Ad dolorem levandum, imo removendum, quam Opio omnium remediorum nullum præstantior sit, in tinctura vel substantia internè pro re nata adhibeatur.

Aconiti et Cicutæ potentiæ, ab usu interno præcipuè pendere expectemus; Aconiti æger om-

ni nocte habeat granam dimidiam foliorum pulveris, vel secundum Dr. Stoërck forma extracti*.

Cicutæ pulveris grana quinque ad decem abhibeantur.

DE STADIO ATONIÆ, VEL ARTHRODYNIÆ.

Hoc stadium quando bene formatur, (de quo et stadio sequente pauca tantum verborum nunc offerenda) planè ex definitione antedicta potest dignosci; post stadium Irritabilitatis malè curatum sese sæpe ostendit. Imo verò stadio nullo Inflammationis strictè dicto, aut Irritabilitatis evidente prægresso, habitus relaxatos in tempestatibus frigidis corripit, ac post subluxationes frequentèr adoritur.

* Extracti gr. ij. cum Sacch. Alb. ʒij. contrit. Dosis gr. vj. ad gr. xxv. pulveris.

De Atonia sive vasorum sive musculorum fibrarum pendere videtur. Rigiditate et contractione hæc affectio musculorum in Arthrodynia plerumque concomitatur. Ex distentione immodica forsan vasorum nuper affectorum *tonus* imminuitur, hinc vis contractionis interdum amissa fuit, nec etiam detumere artus.

Indicatio curandi quæ plena experientia sanciri potuit, est,

Vigorem idoneum in partem affectam instaurare.

Cinchona, frictio cum emollientibus, balneumque frigidum, ut tonica summas agunt potentias, et multum valent. Aqua frigida cui Murias Sodæ adjecta fuit, (vel Acidum Nitricum forsan) sive forma affusionis sive balnei pluviosi tentetur; sed postea strigile bene perfricentur artus, usque ad colorem cutis vividum promovendum.

Si anni tempestas gelida adsit, annon aqua *calida* cum stimulantibus mista licet aquæ frigidæ tutò locum suppeditare?

Ad debitam perspirationem conservandum insigniter Guaiacum proficit. Hydrargyri preparationes, Oleum Terebinthinæ, Camphora, oleum jecoris piscini (Angl. *cod liver oil)* multùm commendantur, et sæpe cum successu adhibentur vario.

Emplastra adhesiva, fasciæ quoquè, firmitatem, caloremque artubus præbent, applicentur.

Partes in die vestimentis, in nocte stragulisque laneis semper ambiri debent, perspirationem, et teporem idoneum conservare.

DE STADIO PARALYSIS.

Per passus adeo insensiles in stadio hoc sæpe

labitur Arthrodynia, quod ægrè limites quà unum in alterum desinit constituere possumus.

Omnium rheumatismi stadiorum hoc quod Paralysin vergit infaustissimum et pertinacissimum se ostendit.

Causam proximam torpore fibrarum moventium, viventiumque constare videtur; morbique speciei *metallicus* ex Sauvagesio dictus haud absimile hoc stadium comparet.

Indicationes curandi sunt;

1. *Vis nerveæ conditionem idoneam in parte reficere.*

2. *Circulationem per vasa liberam instaurare.*

3. *Ligamentorum membranorumque rigiditatem amovere;* nunc,

1ma. Vis nerveæ conditionem idoneam in parte reficere;

a. Incitationem systematis totius augendo,

b. Extremitates nervorum partium affectarum stimulando.

Ad has indicationes perficiendum, stimulantia varia tam ad partes affectas allata, quàm internè sumpta aptè accomodantur. Oleum Terebinthinæ in dosi drachmæ cum melle indie adhibeatur sæpe bono emolumento. Semen Sinapi ad cochleare majus, Raphanus rusticanus quoque frequenter præscribuntur. Cicuta et preparationes Hydrargyri vario successu medicis variis adhibitæ fuerunt, sed bene tentationem in hac indole pertinaci morbi mereantur.

Remedia externa extremitates nervorum stimulantia sunt multa; sicut unguenta cum acido Ni-

trico vel Sulphurico mista. Oleum Terebinthinæ cum Camphoræ parte æquali.

Sinapismi per horas duas applicati; et omnium horum forsan remedium est optimas laudes meritans Tinctura Cantharidum cum Spiritu vini diluta in partibus rigidis illita.

Ind. 2da. Circulationem per vasa liberam instaurare;

a. Obstructionem ad transitum sanguinis per vasa nuper affecta dimovendo,

b. Actionem in hæc vasa quibus dudum fuerit imminutam augendo.

Ad has indicationes perficiendum remedia principia sunt, Electricitas, Calor externus, Balneum-

que frigidum: quanquam ad corporis superficiem applicantur, vires ad vasa totius systematis incitandum maxime pollent, et in Paralyse rheumatica fructus sæpe felices edere possunt.

Scintillæ plurimæ electricæ vel ictus à partibus lenes affectis eliciantur.

Calor externus via sicca, vel via humida admoveatur; Frictiones cum manu pannis laneis vel strigile summoperè si tantùm in usu perstent, possunt valere.

Artus quoque, et totum corpus indusio laneo, vel vestimento *fleecy hosiery* Anglicè dicto, accingi debent, et aër humidus frigidus diligentèr evitandus. In via humida balneum calidum, vaporque aquæ calefactæ in vase idoneo receptus, allata, presidium insigne præbènt, multum ac meritò celebrantur.

Thermæ adeo præclarissimæ evaderunt, quòd apud Bathoniam *grallas* nunc inutiles pro *tropheis* in aulas suspenduntur. Forsan verò thermæ tantum pro gradu caloris, et earum, usum exercitatione comitante valeant, et bene thermarum, aquæ affusio calidæ simplicis, vel cum sale mistæ, vice fungere licet.

Balneum etiam frigidum, si calorem postea lætam inducat, motum liberum sanguinis per vasa obstructa multum promoveat. Nisi post affusionem tepescant artus strigilem, alacriter, strenuaque manu oportet vibrare*.

Indicatio 3tia. Ligamentorum, membranorumque rigiditatem amovere,

a. *Solida simplicia relaxando*,

---

* Si certa membra perfricantur, multa valentique frictione opus est.

CELS. *ch.* 12.

b. Motum partis unius facilem in alteram reddendo.

Solida simplicia, bene vapore aquæ calidæ, et forsitan frictionibus cum oleis, precipuè cum oleo Camphorato ammoniato et similibus relaxantur.

Ad rigiditatem amovendum, nil quàm exercitatione artuum paralysi correptorum diligenti magis valeat, et sine hoc parum adjuvant, fere incassùm alii medicorum nisus pæterea probantur. Diu et multùm inclaruit usus *dumb bells* assidue citra fatigationem intentus; atque in summo honore unusquisque sit ludus, in quo membra affecta validè crebrèque exerçeantur,

Hoc modo partes alteræ ad alteras præter naturam apud intùs juncturas adhærentes divelluntur, roborantur musculi, *Synoviæ* secretio augetur, liberè ac æqualè sanguis artus peragit.

FINIS.